



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis

Antehac ex probatis Auctoribus breviter concinnata

Busenbaum, Hermann

Coloniæ Agrippinæ, 1707

Q. 16. An Religiosis licitum sit audire vel tradere Jus Civile.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42600

extra, est tantum veniale; quale nequidem erit, si fiat ex causa cum praesumpta saltem venia, quando conveniri non potest Superior, *Castrop.* p. 7.

94 Q. 16. *An Religiosus licitum sit audire vel tradere Ius Civile.* R. Hoc resolvetur n. 172.

95 Ibidem decidetur, an Religiosus possit profiteri Canones.

DUBIUM IV.

96

Ad quid Religiosus obligetur vi votorum.

“**R**esp. I. Religiosus ex voto paupertatis obligatur, ut nihil habeat proprium; Nomine proprii autem intelliguntur bona temporalia pretiosissima, quorum dominium, vel certe facultatem disponendi liberam & independentem, in perpetuum abdicavit. Constat ex capite, *Non dicatis* 12. q. 1. c. *Monachi*, de *Stat. Monach.*

“ Dicitur I. *Bona temporalia*: quia retinet Religiosus dominium bonorum spiritualium, honoris, famae & similia. Item jus eligendi, praesentandi, conferendi regulare beneficium, &c. *S. Thom.* 2. 2. q. 186. a. 7. *Sanch. moral.* l. 7. c. 18. n. 25. *Less.* l. 2. c. 4. d. 5. *Lay.* l. 4. t. 5. c. 7. n. 2.

“ Dicitur II. *Dominium vel facultatem disponendi*, propter Religiosos Societatis *JESU*, qui post emissam vota retinent, & acquirere possunt dominium radicale bonorum temporalium, non tamen habent jus actuale de iis pro suo arbitrio disponendi vel utendi; in cuius abdicatione essentia Religiosae paupertatis consistit. *Sanch.* n. 23. & 28. *Laym.* n. 3.

“ Dicitur III. *Independentem*: quia Religiosus, etiam professus, potest habere peculium dependens, & revocabile ad nutum Superioris, quod nomine